

Petrus de Vinea

*Ep. I 8 (Adauctae nobis
continue felicitatis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 8 (Adauctae nobis
continue felicitatis...)*

1241 (post 11 maggio)

Comitibus, principibus et aliis nobilibus, super obsidione Fauentiae et captione legatorum et prelatorum ad Concilium uocatorum.

1. Adauctae nobis continue felicitatis auspicia, quibus dextera Domini prosequitur gressus nostros, desiderium uestrum uolumus non latere. 2. Cum enim in obsidione Fauentiae preterita hieme fixa fuerint uictricia nostra castra, et insultus noster propter asperitatem temporis non pateret, sed machinis et instrumentis bellicis intus et exterius quassaretur et muris ex continuo machinarum ictu collapsis ac per subterraneas uias, quas nostri fecerant, attingentes menia ciuitatis et intima penetrantes, uerni temporis adueniente temperie, cum non confiderent ulterius se tueri, misericordiam nostram tandem humiliter implorarunt, et die ... cum omni deuotione se ad mandata nostra conuertens, quamquam suis diffisa meritis, de nostra tamen, quae suis preponderabat excessibus, pietate confisa dictioni nostrae colla subiecit, et corporali fidelitatis debitae prestito iuramento et omnibus aliis illicitis iuramentis, quae fecerat, penitus abiuratis. 3. Nos igitur, qui de nostrorum subiectorum conuersione gaudemus, gloriosum uindictae genus pensantes ignoscere subditis et suorum excessuum iudicium moderari, ciuitatem eamdem et ciues eius in gratia nostra clementer accepimus et eos absoluimus ac offensas remisimus, quas patrant, captiuis eorum liberaliter liberatis; et tandem eis de gratia nostra confidentiam dedimus, ut uicti nostramque misericordiam consecuti uictoriae nostrae dono gaudeant, et nichil dulcius nichilque suauius iugo Imperii sentiant experi. 4. Cumque post uictam et obtentam Fauentiam, ad depopulationem

uicinae Bononiae nostrum preparemus propositum instantius et conatus, et exercitu nostro potenti ex diuersis mundi partibus restaurato accingeremur feliciter, auribus nostris noua expectata desiderabiliter occurrerunt: 5. quod cum episcopus Penestrinus, nostri honoris et nominis obtractator, qui rapacem lupum sub ouina pelle tegebat, et quod posset effugere manus nostras, exprotracta, uelut suarum in nos conscius offensarum, frequenter species hominum ex alterna uarietate commerciorum contraxit, et O. Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, diaconus cardinalis, 6. qui diu legati fuerant, necnon et plures alii pro celebrando Romano Concilio contra nos ex diuersis mundi prouinciis congregati Ianuam reuertentes, et conspiratione facta cum Ianuensibus nostris rebellibus et armata ibidem copia galearum, cum quibus duci Romam et Ianuam reduci conuenerant, sub infaustis eorum auspiciis ui. 7. Ita quod homines Regni nostri cum uictorioso exercitu nostro et fidelibus Pisanis nostrorum infidelium Ianuensium galeas potenter aggressi, tribus eorum galeis in mari submersis et personis amissis, uiginti duas galeas triumphaliter habuerunt, quarum sedecim obtentae sunt specialiter ab hominibus Regni nostri; 8. reliquis sex ad manus deuenientibus Pisanorum, in quibus capti sunt duo legati predicti et cum eis G. de Romaniola, tertius similiter legatus, ut cum eisdem legatis insimul ligaretur. 9. Capti quoque sunt quamplures archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, presbyteri, procuratores et diuersorum nuntii prelatorum, ambassiatores ciuitatum rebellium Lombardorum, qui contra nos ad ipsum Concilium mittebantur, et quattuor milia Ianuensium electorum, qui pro comitatu eorum et ducatu deputati fuerant prelatorum: quos omnes

carcer noster includit. 10. Quibus nouis ad nostram audientiam grata relatione perlatis, quia negotii qualitas expetebat et rei succedentis euentus maiora nobis felicitatis auspicia suadebat, consilium eundi Bononiam reuocantes, propensiori consilio uersus Romam uictricia castra nostra conuertimus, ubi sub uexillis potentiae nostrae nos acclamat fortuna felicior, per quam reliquiae, si quae sunt nostrorum rebellium, consternentur et capitis humiliata superbia collapsa in suo corpore seditionis membra tabescant. 11. Adiecit etiam manus Domini uotis nostris augmenta successuum et continuauit e celo uictoriam nostrorum titulis triumphorum. 12. Nam cum de certa die illi Papienses nostri fideles, una cum uicariis illarum partium et aliis fidelibus nostris, ad coartandum per terram Ianuam, quae in mari prostrata fuerat, magnifice processissent, Mediolanenses, hostes Imperii, suo motu precipites, sperantes maiora perferre Papiensibus de Monte Longo, quem papa prefecerat eis capitaneum et legatum, cum buccinis et tubis sub infaustis eorum uexillis clauium exiuerunt. 13. Et cum Papiensium finibus uicinassent, Papienses fideles nostri cum militibus eorum, qui die illo in sero ab exercitu ex inopinato redierant, Domino faciente, pro Mediolanensium superbia conterenda, ipsorum aduentu cognito, eis audacter et uiriliter concurrerunt, et sub felici nostro nomine militantes ipsos potenter aggressi triumphaliter deuicerunt, capientes tubas, buccinas et uexilla clauium ac uexillum Communis, cum Carrucium non haberent. 14. Quingentos quoque de electis Mediolanensium uinctos Papiensis catena duxit, preter occisos, quorum numerus uix poterat estimari. Socii uero legati capti fuerunt, sed de legato ipso, si euadere potuit uel in bello occiderit, quia in emissionem presentium non

poterat haberi certitudo, quid de persona sua cesserit, ignoramus. 15. Sed istud inter dubia nondum certi credere uolumus, in eo qui nostrum in suo iure firmat Imperium confidentes, quod, tribus in fugitiuo equore captis legatis pariter et ligatis, iustus Dominus quartum in terra legatum non permiserit euasisse. 16. Quae omnia uobis significamus ad gaudium, ut sicut estis nostrorum successuum auidi, sic sitis participes triumphorum.